

1529 & 12. Junij

259

Petrus Tomicki, Joanni Chocienski archi:
diacono Cracoviensi secretario regio.

88

Venerabilis domine frater in Christo charis-
sime. Scripserunt huc ad nos cives November-
genses literas in commendationem Platnerij
conciuis sui, rogantes nos ut apud maiestatem
regiam illius cause, quam cum Luca Rasek ci-
ue Posnaniensi habet, opera et patrocinio nos-
tro adessemus, quarum quidem literarum exem-
plum nos in manus vestras mittimus, ut il-
lorum petitionis rationem melius cognoscatis.
Nos autem scripsimus in hoc negotio literas
nostras ad regiam maiestatem, verum non ea
ratione qua optabant Novemburgenses, diversum
enim ab illis in ea re sentimus, prout et id ex
literis a nobis maiestati sue scriptis cognoscetis.
Dabitis vero operam pro officio vestro, ut maie-
stas sua id in hac re constituere dignetur, quod
et equitati, et celeritati finiende litis convenire
magis possit. Quamvis enim Rasek obtinuit
sententiam pro se in iudicio Posnaniensi, nun-
quam tamen executionem illius habere poterit,
nisi de iustitia ipsius, et Platneri per iudices
non partiales neque suspectos debito modo co-
gnoscatur. Bene valeatis et felix sitis. Datum
1529. & 12. Junij

